



Henrici Jacobi Pagendarmii ... Dissertatio brevis sistens opera divina ceu specimina summi medici ...

<https://hdl.handle.net/1874/347636>

Q. D. B. V.

HENRICI JACOBI PAGENDARMII
HEYENA-BRVNSVICENSIS
PHILOSOPH. ET S. S. THEOL. CVLTOR.
DISSERTATIO BREVIS

SISTENS

OPERA DIVINA

CEU

SPECIMINA SVMMI MEDICI.

AD

VIRVM NOBILISSIMVM ET EXPERIENTIS-
SIMVM ET DOCTISSIMVM
DOMINVM
JOACHIMVM VINCENTIVM
STISSERVVM

TITVLO, DIGNITATE, ET PRIVILEGIIS
DOCTORIS MEDICINAE ET ARTIS SALVTARIS
ORNATVM
IN ACADEMIA IVLIA:

GVELPHERBYTI

Apud JOH. CHRISTOPH. MEISNERVM.

CIDCCCXXXV.





S. L.



pera divina ceu specimina summi Me-
dici non incommode esse conside-
randa demonstraturus; hic omnes
istas veritates, quæ in Theologia na-
turali de Deo proponuntur, præstruo;
scilicet quod sit necessario existens &
perfectissimum ens; quod omnes res creatæ: nimirum mundus
aspectabilis, omnesque quæ in eodem existunt sive eidem
insunt creaturæ rationales s. mundus intelligibilis, in existen-
do a liberrimo ejusdem decreto dependeant, eodemque
unico.

A 2

Schol.

Schol. Si decretum dico voluntatem, quatenus circa alterius versetur existentiam; quivis facile perspicui potest, quid sit entis perfectissimi decretum: quod scilicet tendit ad mundi tam partialis quam totalis existentiam. Hocce Dei decretum appello 1) *liberrimum*: cum enim hic mundus optimus, qui existit, a decreto dependet divino; per principia autem Cosmologica scientiæ plures mundi sunt possibiles; sequitur, ut ex pluribus possibilibus mundis illum decreverit Deus, qui est optimus. Sed in eodem consistit electionis conceptus; existentia itaque hujus mundi optimi sine ejusdem electione possibilis non est, adeoque Deo competere debet facultas eligendi, sive facultas ex pluribus id velle, quod maximis præminet perfectionibus, quod maxime placet, & quod optimum est. *Sive itaque definias libertatem per facultatem eligendi, sive per facultatem entis intelligentis ex pluribus possibilibus sponte eligendi, quod ipsi maxime placet, cum ad nullum eorum per essentiam sit determinatum; mihi erit perinde, cum ex utraque definitione concludo: positis istis principiis decretum Dei esse liberrimum; nisi contra omnem loquendi usum ponatur: illum libere agere posse, qui salva libertate, qua id, quod maxime placet s. quod optimum est, eligit, etiam contrarium eligere possit cf. Exc. Canz. in Theol. Nat. Polem. p. m. 281. seq. 2) *Unicum*, respectu scilicet Dei sive subjective spectatum, quoniam voluntatis divinæ actus est unicus, idemque simplicissimus & simultaneus; non vero objective s. terminative, si nimirum respectus habetur objectorum decreti divini innumerabilium. Quo quidem respectu plura Dei decreta statui possunt in puncto nimirum intellectus nostri finiti cf. Canz. l. c. p. m. 250. & 336. seq. & Excell. Reuschii Proleg. Theol. Thet. §. 206.*

§. 2. Cuius entis mere possibili non repugnat existentia, quoniam per canonem illum ab existentia entis ad ejusdam possibilitatem

tem

tem valet consequentia. Ex quibus sequitur, ut, si ens mere possibile sit existens, nulla oriatur disharmonia, nullusque dissensus. Cumque omnis consensus atque harmonia eorum, quæ in ente ponuntur, ejusdem entis dicatur perfectio; facile ex his colligere possumus, quod existentia, si enti mere possibili accedat, eidem perfectionem inferat. Cumque præterea omne ens possibile vi suæ definitionis atque essentia omnem excludit contradictionem atque disharmoniam; apparet, ens mere possibile, si sit existens, fieri perfectius.

Schol. Hoc quidem dogma suis comprobatur verbis Canz. l. c. p. m. 26. seq. *Existentia est complementum perfectionis possibilis. Quod perfectum complet, id perfectum reddit perfectius: Est igitur perfectio absoluta, nullum defectum ullo ex latere inferens. &c.*

§. 3.

Si ens mere possibile redditur existens, s. ad existentiam pervenit ex se ab alio; tunc idem illud creari dicitur. Creatio itaque est largitio existentia enti possibili. Cum autem enti mere possibili, si sit existens, nullus respondet dissensus; (§. 2.) sequitur, ut per creationem suæ existentia largitionem nulla enti invehatur imperfectio, nullusque dissensus. (§. cit.)

Schol. Veram creationis definitionem retinui, eandemque communem, quamvis non negem; obscuritate quadam, ut mihi quidem videtur, eandem laborare; quæ vero facile removeri posset; si creationis conceptus, quod alia forsitan occasione sum probaturus, ita institueretur: ut esset actio entis existentis transiens in ens mere possibile.

§. 4.

Cuiusque enti mere possibili contingit sive accedit existentia; idem ens eo ipso fit perfectius; (§. 2.) sed per creationem enti mere possibili accedit existentia, (§. 3.) sequitur itaque, ut per creationem quodvis ens possibile perfectius reddatur.

§. 5.

Quicquid enti accidit, id eidem non est necessarium; (per Met.) sed existentia per creationem, est existentia, quæ enti accidit. (§. 4.) Ergo ejusmodi quoque existentia per creationem non est necessaria.

Schol. Omne itaque ens per creationem existens est ens contingens, consequenter finitum. cf. Canz. I. c. §. 132, n. 2.

§. 6.

Cum per creationem ens mere possibile fit existens; (§. 3.) ejusmodi autem ens substantia dicitur; (per def.) apparet, quod per creationem ens possibile fiat substantia.

§. 7.

Quicquid est ens existens, id est perfectius, quam ens mere possibile; (§. 2.) sed substantia est ens existens, (§. 6.) Ergo substantia est perfectior ente mere possibili.

Schol. Omne ens per creationem existens est contingens; (§. 5.) adeoque & substantia per creationem non nisi finita esse potest. (§. 6.)

§. 8.

Omne ens existens habet vim & potest agere; (per Met.) cum autem per creationem ens possibile fit existens; (§. 3.) Sequitur ut enti possibili per creationem invehatur vis, facultasque agendi.

Schol. Omnis substantia est ens existens; (§. 6.) hinc evenit, ut nonnulli quoque substantiam definiverint per ens facultate agendi præditum cf. Thummigii Instit. Philos. Ontol. §. 87.

§. 9.

Substantia est perfectior quam ens mere possibile; (§. 7.)
cum

cum vero hoc est, quia existit, (§. 6.) per existentiam autem ens habet vim & facultatem agendi; (§. 8.) Sequitur, ut perfectio substantia comparativa consistat in vi & facultate agendi.

Schol. Omnis substantia per creationem est finita, (§. 7.) Schol. hinc & ejusmodi substantiæ vis & facultas agendi non nisi finita & contingens esse potest.

§. 10.

Totum universum, & quæ in (non cum ex usu scilicet loquendi) eodem existunt, sunt contingentia; (per Met.) cum vero inter contingentiam entis existentis & ejus factam creationem nexus datur necessarius; (cf. §. 5.) Sequitur, ut Deus toti universo, & omnibus aliis entibus ab ipso diversis sit largitus existentiam. (§. 3. & 1.)

§. 11.

Omne ens possibile per creationem redditur perfectius; (§. 4.) sed Deus hunc mundum, omniaque entia creavit (§. 10.) adeoque & eundem reddidit perfectiorem.

§. 12.

Unicus tantum mundus metaphysice sumtus existit; sed plures sunt possibiles mundi, adeoque hic mundus præ omnibus perfectior imo perfectissimus esse (§. 11.) vimque agendi habere debet, (§. 9.) quoniam a Deo est creatus.

§. 13.

Mundo inexistunt homines, pluresque aliæ creaturæ rationales, tanquam ejusdem inhabitatores. Cum vero hæ creaturæ a Deo debent esse creatæ; (§. 10.) per creationem autem quodcunque ens fit perfectior; (§. 4.) sequitur, ut & hæ creaturæ Deus reddiderit creando perfectiores.

§. 14.

§. 14.

Quodcunque a Deo creatur ens, id eo ipso accipit vim & facultatem agendi; (§. 8.) cum vero Deus homines aliasque res creatas ratione præditas creavit, (§. 10.) apparet, quod *etiam comparativa perfectio harum creaturarum sive major illa perfectio consistat in vi & facultate agendi secundum rationem ejusque veritatem*, (cf. §. 9.)

Schol. Cum præter hunc mundum plures adhuc sunt possibiles, inter quos citra omne dubium unus adhuc debet esse optimus, qui tamen non est existens; hic autem mundus, quem nos cum multis aliis creaturis rationalibus sive certo planeta alligatis, sive minus, incolimus, existit, adeoque per creationem eidem perfectio accidit illi ceterisque non competens; sequitur, ut hic mundus sit optimus inter omnes: quia existit, ejusque perfectiones quia sunt actuales & existentes, non mere possibiles.

§. 15.

Si ens mere possibile sit per creationem existens; tunc est perfectius: (§. 4.) Ponamus itaque duo entia A. & B. quod hæc per creationem fierent existents; sequitur, ut utrumque redderetur perfectius; ponamus autem, quod, simulac A. in momento temporis M. fieret existens, in subsequenti momento N. in meram relaberetur possibilitatem, adeoque in existendo non perduraret; ens autem B. existentiam suam in eodem momento M. acceptam continuaret in subsequentibus; inde colligi potest, quod, cum ens B. id retineret, per quod perfectius esset factum, quoque perfectius esset dicendum quam ens A.

§. 16.

Hic mundus omnesque creaturæ per creationem existunt (§. 10.) & in sua existentia perdurant, (per. exp.) Cum vero
hanc

hanc existentiam absque voluntate divina, ejusque decreto continuare non possunt cf. S. R. Ribovii Theol. Dogm. Part. I. §. 1111; sequitur, ut cum Deus existentiam totius mundi, omniumque creaturarum rationalium continuat, eo ipso omnes istas creaturas reddat perfectiores. (§. 15.)

§. 17.

Actus Dei, qui circa rerum creaturarum existentiam continuandam versatur, dicitur *conservatio*. Apparet itaque, quod Deus per conservationem totum systema mundi reddat perfectius. (§. 16.)

§. 18.

Cum Deus hunc mundum conservat, omnia, quæ in eodem sunt atque fiunt, eo dirigit, ut augmentum perfectionum, quantum quidem possibile, inde promanet in omnes creaturas, cf. Cel. Carpov. Th. Dog. T. II. P. II. cap. III. consequenter media atque fines sibi subordinantur. Qui actus cum audit gubernatio; Deus per gubernationem totum mundi systema reddit perfectius. (§. 15-17.)

§. 19.

Conservatio & gubernatio divina uno nomine conceptum *providentiæ divinae* sistunt. Cum vero per gubernationem & conservationem Deus totum systema mundi reddit perfectius, (§. 17. & 18.) idem quoque de providentiæ est dicendum cf. Reusch. I. c. §. 215. & Ribov. I. c. §. 1161. & 1168. Consequenter ex hoc patet, quod, dum Deus mundo atque creaturis rationalibus provideat, s. dum omnibus rebus continuatam existentiam, activitatem, qua realem, ac directionem ad certos fines præstat, per illud in his rebus creatis augmentum fiat perfectionum, atque adeo eodem evadant perfectiores cf. Canz. I. c. §. 142. seq.

§. 20.

Aliquid perfectius reddere idem est, ac illud emendare. Sed per actus creationis, (§. 11.) conservationis, (§. 17.) gubernationis, (§. 18.) & providentiæ (§. 19.) Deus totum hocce universum reddit perfectius; sequitur itaque, ut per eosdem actus etiam mundum emendet. Verum Deus istorum actuum solus est ratio sufficiens efficiens, ergo quoque idem est prædicandum de emendatione mundi determinata.

§. 21.

Deo competit scientia, non quidem talis, quæ in creatura rationali per habitum, & earundem actionum reiterationem acquiritur, quoniam eadem Deo inferret imperfectiones longe ab eodem remotas; sed si Deo tribuimus scientiam de omnibus; tunc in ea formalitate, quæ omnes ab eadem arce imperfectiones, sive in significato, uti loqui amant, depurato eadem explicari debet: per exactissimam scilicet & simultaneam omnium rerum & rationum cognitionem ac intuitionem.

§. 22.

Deus solus est ratio sufficiens efficiens de facta per creationem hujus universi emendatione, & quæ adhuc fit per providentiam; (§. 20.) exactissima itaque hujus emendationis cognitio Deo est tribuenda, adeoque & scientia summa de hac emendatione. (§. 21.)

§. 23.

Aliquid alicui salutare esse dicitur, si idem ad emendationem ejus tendit. Quocirca scientia salutaris generatim dici potest scientia de emendatione alterius, adeoque est cognitio de ratione atque modo perfectius aliquid reddendi. (§. 20.)

§. 24.

§. 24.

Summo numini competit exactissima de emendatione totius hujus universi cognitio propter actus creationis & providentiae; (§. 20.) cum vero talis cognitio scientia salutaris dicitur; (§. 23.) sequitur, ut Deo summa scientia salutaris de hocce universo, summaque cognitio de ratione & modo totum universum perfectius reddendi, competere debeat.

§. 25.

Ars est promptitudo per vires suas aliquid producendi, quod sine iis fieri non posset. Sequitur itaque, ut ars salutaris sit promptitudo per vires suas alterius producendi emendationem. (§. 23.)

§. 26.

Cum Deus vi sua infinita totius hujus universi produxit emendationem, per creationem scilicet & providentiam; (§. 20.) apparet, quod eidem adscribenda sit ars salutaris (§. 25.) eademque summa. (§. 21.)

§. 27.

Scientia five ars salutaris vocatur quoque ars scilicet scientia medica. Cum vero Deo attribui debet ars salutaris; (§. 26.) dubium non est, quin Deo competat ars medica, quae summa.

§. 28.

Quicumque gaudet scientia medica, is Medicus appellari solet. Cum autem Deo competit ars & scientia medica (§. 27.) eademque summa; sequitur, ut Deus summus appellari mereatur Medicus.

§. 29.

Cum Deo propter creationem & providentiam adscribi debet scientia & ars salutaris; (§. 26.) propter hos quoque actus summus merito appellatur Medicus. (§. 28.)

Schol. Evictum itaque est, Deum, quatenus mundum creavit, conservat, gubernat, eidemque providet, summum esse Medicum. Cum vero per hos actus talem se praestitit, quem eum non cognituri essemus ex opere redemptionis a *θεωδωπον* praestito? cum in scriptura sacra nomen medici expressis verbis sibi vindicat, salvatorem totius generis humani se revelat, adeoque per facta se medicum summum esse comprobat, insuperque attributa & praedicata medico propria sibi attribuit. cf. S. R. Hauberi tract. *Jesús der Arzt seines Volks auch in leiblichen Krankheiten*.

§. 30.

Amor s. benignitas mihi est conatus & inclinatio aliquid perficiendi. Ex quocunque itaque ejusmodi inclinationem alicujus colligere possum, ex eodem & amor ejus erga illud elucet. Cum vero per creationem & providentiam Deus perfectiorem reddit mundum; (§. 11. §. 19.) Ex his actibus divinis amorem Dei erga totum universum probare omnino possumus.

§. 31.

Propter creationem & providentiam Deus summus appellandus est Medicus; (§. 29.) verum ex iisdem operibus elucet amor erga systema mundi; (§. 30.) adeoque Deus est benignissimus Medicus amorisque plenus.

§. 32.

Quicunque actiones suas ita instituit, ut propositum obtineat finem, is sapiens & sapienter agere dicitur. Sed Deus determinato agit modo; adeoque etiam est sapientissimus, (per Th. Nat.)

§. 33.

Actiones Dei sunt creatio & providentia. Cum autem in actionibus suis Deus est sapientissimus, (§. 32.) & propter creationem & providentiam medicus merito appellatur; (§. 29.) Deus quoque medicus est sapientissimus.

§. 34.

§. 34.

Cum ex creatione & providentia divina generatim perfectiones summi numinis colligimus, ita speciatim, eundem summum Medicum esse ex iisdem operibus probavimus in antecedentibus.

§. 35.

Opus, ex quo alterius perfectiones & qualitates colligere possum, mihi dicitur specimen. Cum itaque ex creatione & providentia divina, ceu operibus Dei, ejusdem colligere possumus perfectiones summas; (§. 34.) hinc creatio & providentia sunt specimina perfectionum divinarum.

§. 36.

Ex creatione & providentia divina speciatim probari potest: Deum summum esse medicum; (§. 34.) sequitur itaque, ut creatio, conservatio & gubernatio imo & providentia sint opera divina ceu specimina summi Medici (§. 35.) tam benignissimi, (§. 31.) quam sapientissimi. (§. 32.)

Schol. Si opus redemptionis eadem ratione vellemus considerare, qua opus creationis & providentiae a priori cognitum ponderavimus; sufficiens certe adesset ratio colligendi: idem egregium Dei ceu summi Medici esse specimen, (cf. §. 29. Sch.) idemque sapientissimum & benignissimum.

§. 37.

Deus est ens perfectissimum & optimum, (§. 1.) adeoque opera ipsius non nisi optima esse possunt. Cum vero opera divina specimina sunt Dei ceu summi Medici; (§. 36.) eadem quoque sunt specimina perfectissima & optima.

§. 38.

Ex quocunque alterius existentiam colligere possumus sive colligimus, id ejus dicitur signum. Cujus vero existentia ex altero colligitur, appellari solet signatum.

Schol. Quivis hic facile perspicere potest me hic signum in sensu sumere latiori cf. S. R. Pfeifferi Herm. Univ. §. 1. cum ad quodvis signum stricte ita dictum sensibile quid requiritur cf. Dom. a Wedel diff. de obligatione circa observandas ceremonias §. 1.

§. 39.

Opus, ex quo alterius perfectiones (adeoque & existentiam) colligo, dicitur specimen; (§. 35. cum vero id, ex quo alterius existentiam colligo, signum est; (§. 38.) sequitur, ut specimen sit signum.

§. 40.

Creatio & providentia sunt specimina summi Medici. (§. 36.) Sed specimen est signum; (§. 39.) Ergo creatio & providentia s. generatim opera divina sunt signa Dei seu summi Medici. (cf. §. 35.)

§. 41.

Inter signum & signatum datur nexus necessarius, quamvis ex eodem neque signi, neque signati necessitas inferri possit. Posito itaque signo poni quoque designatum quatale & v. v. Remoto signo removeri quoque debet signatum quatale & v. v.

§. 42.

Creatio & conservatio, gubernatio s. uno nomine providentia sunt signa de Deo seu summo Medico. (§. 40.) Si itaque Deus defineret esse summus omnium creaturarum Medicus; opera divina quoque definire deberent esse signa summi Medici; (§. 41.) cum vero hoc: Deum esse totius universi summum Medicum, per necessariam consequentiam ex operibus divinis ut ex creatione & providentia fluit, (§. 19.) adeoque Deus propter creationem & providentiam s. generatim opera divina est summus Medicus; sequitur, ut, si Deus amplius totius systematis mundani Medicus esse non vult & definit, etiam eo ipso desinat ipsa providentia, gubernatio & conservatio.

§. 43.

Totum hocce universum semel a Deo creatum sine ejus providentia consistere & existentiam continuare nequit. (§. 16.) Cum vero, si Deus totius hujus universi Medicus amplius esse nollet; ejus quoque providentia finem haberet, (§. 42.) apparet, quod sub determinata ratione totum hocce universum in existentia perdurare non posset sua.

§. 44.

Si ens ex statu actualitatis & existentiae ad non existentiam reducitur, tunc idem illud annihilari dicitur. cf. Excell. Dariesii Metaph. T. I. Monad. §. 3. seq. Cum vero sine providentia divina totum systema mundi in existentia perdurare nequit; (§. 16.) sequitur, ut, si providentia divina haberet finem, totum hocce universum annihilaretur. (§. 43.)

§. 45.

Si Deus nollet amplius esse totius mundi Medicus, ejus quoque providentia desinere deberet; (§. 43.) sed hoc modo totum systema mundi annihilaretur; (§. 44.) ergo si Deus totius universi desineret esse Medicus, totus mundus in nihilum reduceretur.

Schol. Hic modo obiter notare volo, quod eadem ratione & modo probari posset; damnatos consummato illo judicio œcumenico a redemptore gratiam impetrare & spem redemptionis habere non posse. (cf. §. 36. Sch.) nisi denuo opus redemptionis Deus præstaret, adeoque tempus gratiae inciperet iterum; quod autem absurdum est.

§. 46.

Neque ex principiis rationis rectae, neque ex scriptura sacra evidenter probari potest, Deum hunc mundum in nihilum esse reducturum. Adeoque summum numen semper est, eritque totius systematis mundani summus Medicus. Et creatio & providentia semper sunt & erunt optima specimina & signa Dei ceu summi Medici. Cui soli sit laus, honor & gloria in æternum.

Atque

Atque hæc sunt, Vir Præcellentissime, Experientissime, & Doctissime! Fautor & Amice æstematissime, quæ in Tui honorem hac quidem occasione volui exarare. Permulta, uti ipse perspicies, potuissent addi, tam quæ ad rem ipsam pertinuissent, quam quæ sub nomine scholiorum non paucis, qui non nisi omnia pro more inter Antiquiores recepto ad ostentationem evitandam, uti ajunt, conscribi debere Scholiis prorsus destituta sibi persuadent, odiosorum inferi potuissent. Sed sufficiant hæc Tibi ad ostendendum meum erga Te amorem, quem quidem amicitia, quæ inter nos obtinet, a me poscere videtur, quo, simulac nobis nos convenire & videre contigerit, propter studia nostra, præter ultima & posteriora, communia, incepit. Non raro, Amice Suavissime! jucundissimam consuetudinem, non vulgarem & quotidianam Tuam scientiam, maturaque judicia ex omni fere scientiarum genere deprompta memoria repeto, & recordor, me semper a Te abiisse doctiorem. Quocirca non nunquam arbitratus sum: Te dignum esse summis in Philosophia & Arte Medica honoribus & privilegiis, imo dignissimum. Cumque eundem, quem modo dixi, honorem summum obtinuisti; non potui, quin Tibi meam læticiam hoc specimine qualicunque, cujus argumentum & elaborationis ratio non nisi ut Tibi placeat præcipue in votis habeo, declararem. Gratulor ideo Tibi, Clarissime Doctor! de hac dignitate. Non exigua quidem est ista dignitas; verum Tu omnium consensu eandem magis, quam illa Te ornat. Adeoque etiam gratulor Ordini Medicorum Excellentissimo de tali membro. Fruere modo, Doctor Clarissime, & Amice (si ita Te appellare mihi & in posterum liceat) Suavissime! hac dignitate magnifica ex providentia divina quam diutissime, meque semper amare, meisque rebus favere perge. Ita vale! Scribeb. Heyenæ in Duc. Brunsvic. præf. Wickenfis
 anno post Dei hominumque sequestrem natum
 c1800ccxxxv. d. 1. m. Maii.

